[...]ta per septenarium gratia spiritus sancti gubernatur regitur et [...] quia septem sunt dona spiritus sancti que in [...] quieverunt. sicut esaias dicit: [Et requi]escet super eum spiritus domini. Que et [...] dona suis participibus contul[it ...] citat apostolus: Alii datur per spiritum sermo sapientie. alii autem sermo scientie. alii genera linguarum. alii interpretatio sermonum. Et precepit turbe discumbere super terram. In alia refectione scriptum est. quia super fenum discubuerunt. Ergo per fenum carnalis delectatio figuratur. et bene super fenum discubuisse dicuntur. quia iudaicus populus ad hoc legem accepit ut in ea carnalia peccata resecaret. Hic autem super terram discubuisse dicuntur. quia gentilis populus ad tantam perfectionem venit. ut non solum [a] se ipsis carnalia peccata resecaret sed etiam mundum cum suis concupiscentiis abnegaret. iuxta illud quod dominus ait: Nisi quis abrenonciaverit omnibus que possidet non potest meus esse discipulus. Et accipiens septem panes gratias agens fregit dabat discipulis suis ut apponerent et apposuerunt turbe. Iam superius per vite panes septiformem gratiam spiritus sancti diximus significari. Accipiens ergo vite panes gratias agens dedit discipulis ut apponerent [...] [...] Quando post resurrectionem

[...]uam apparens eis insuflavit et [dixit]: Accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Illi autem apposuerunt quando gratiam eius de spiritu sancto corroborati predicaverunt ubique domino cooperante. Gratias enim egit patri non ut aliquid indigere poterat a patre quia omnia postulat data cum patre. Sed ut ostenderet omnia iusta escam de celis petenda. Sicut ait iacob apostolus: Omne datum optimum. Et habebant pisciculos paucos. Pulchre in illa reffeccione que ex quinque panibus facta est. duo pisciculi fuisse dicuntur. Hic autem infinitus numerus ostenditur. quia ad comparacionem illorum qui ex populo iudeorum credituri erant infinita multitudo ex gentili poplo ad fidem venerunt domino dicente in euangelio: Multi venient ab oriente. Et manducaverunt et saturati sunt. Notandum autem quod omnes saturati dicuntur. sed non omnes acceperunt quia ex scriptura sacra non omnes equaliter accipiunt sed omnes ad unam aeternam saciet[at]e veniunt. Un[de] descrip[tum est ...] populus [...] colli[...] [...] colligerunt [...] plus [...]